

PONTIFICIA COMMISSIONE  
CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

**COMMUNICATIONES**

VOL. VI - N. 1

---

1974

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS  
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1974

## EX ACTIS PAULI PP. VI

Rescriptum ex audiencia	
<i>Instructio de secreto pontificio</i>	3
Allocutiones	
I. <i>Iis qui in Gregoriana Studiorum Universitate «Cursui renovationis canonicae pro iudicibus aliisque tribunalium administris» interfuerunt</i>	7
II. <i>Ad Praelatos Auditores, Advocatos et Officiales Tribunalis Sacrae Romanae Rotae, a Beatissimo Patre novo litibus iudicandis ineunte anno coram admissos</i>	10
III. <i>Ad Sodales et Consultores Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici Orientalis recognoscendo, in dedicatione laborum</i>	14
IV. <i>Ad Consilium permanens Secretariae Generalis Synodi Episcoporum</i>	19

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

### *Sacra Congregatio pro Religiosis et Institutis saecularibus*

De dimissione religiosorum qui vota perpetua nuncuparunt in religione clericali exempta	23
---	----

## *Sacra Congregatio pro Cultu Divino*

I. <i>Litterae circulares De normis servandis quoad liturgicos libros in vulgus edendos, illorum translatione in linguas hodiernas peracta</i>	24
II. <i>Decretum De novo «Ordine Paenitentiae»</i>	26
III. <i>Decretum quo vacatio legis de Ordine Unctionis infirmorum prorogatur</i>	28

## ACTA COMMISSIONIS

I. <i>Brevis conspectus de labore hucusque a Commissione peracto deque peragendo</i>	29
II. <i>Coetus mixtus studiorum ad apparendum Schema Legis Ecclesiae Fundamentalis constituitur</i>	59
III. <i>Opera Consultorum in parandis Canonum Schematibus</i>	
1. <i>Coetus specialis studii «De Lege Ecclesiae Fundamentali»</i>	60
2. <i>De Institutis Perfectionis</i>	72
3. <i>De personis physicis et iuridicis</i>	93

## DOCUMENTA

<i>Oratio de statu laborum Commissionis ab Card. P. Felici Vindobonae habita</i>	104
--	-----

<i>NOTITIAE</i>	116
-----------------	-----

tur quaestiones theologicae discussae, et colligantur e contra principia Magisterii quae iustificant Legem Fundamentalem; valde exoptat praeterea ut in nova elaboratione Prooemii p[re] oculis habeatur non solum Const. dogm. « Lumen gentium », sed etiam Const. past. « Gaudium et spes ».

Em[m]us Praeses, aestimans ad redactionem emendatam Prooemii esse procedendum, attentis animadversionibus factis, declarat alteram hanc redactionem opportunius committendam esse alicui coetui speciali, suo tempore constituendo.

Prosequitur exinde examen singulorum articulorum partis dispositivae, de quibus proxime referetur (I. Herranz, *Actuarius*).

## 2

## De Institutis Perfectionis


## I. PROMISSONIS ADIMPLETIO

1. Finem imponens alteri « Relationi » circa recognitionem iuris communis instituta perfectionis respicientis,<sup>1</sup> infrascriptus Relator lectoribus promittebat se, tempore opportuno, eis praebitum « alias notitias et ampliorem expositionem », praesertim circa partem secundam seu specialem Schematis generalis, quae tunc in omnibus suis partibus parata non erat. Quapropter dicebat tunc Relator: « Expositio magis ampla horum omnium differenda est usquedum secunda pars absoluta sit et omnes canones approbati a Coetu Studiorum ».<sup>2</sup>

Promissio tunc facta iam nunc adimpleri potest, quia Coetus Studiorum: « De Institutis Perfectionis », interim, examen secundae partis Schematis generalis feliciter ad finem deduxit et canones omnes in hac parte ponendos approbavit. Immo, in sessione plenaria decima sexta, quae ineunte mense maio anni 1974 habita est (diebus 6-10 illius mensis), Consultores Coetus considerare potuerunt etiam quasdam quaestiones quae supererant circa dependentiam institutorum perfectionis ab ecclesiastica Auctoritate, circa eorum congruam autonomiam necnon circa exemptionem. Decisionem etiam tulerunt Consultores quoad usum terminologiae quae potissimum in prima parte Schematis generalis adhibenda est.

<sup>1</sup> Cf. *Communicationes*, 5, 1973, n. 20, p. 69.

<sup>2</sup> *Ibid.*



2. Primo igitur loco enucleate sermo erit in hac Relatione de iis quae in parte secunda seu speciali Schematis generalis continentur. Exponere nempe oportet quae Coetus Studiorum statuere proposuit pro qualibet ex tribus supremis categoriis institutorum perfectionis, scilicet: pro institutis religiosis, pro institutis vitae apostolicae consociatae et pro institutis saecularibus. Necessarium non videtur iterum hic repetere quod iam plures dictum est; videlicet: schema paratum et canones elaborati nonnisi « propositiones » constituunt examini multorum adhuc subiiciendas et probabiliter emendandas. Consequenter, in expositione quae sequitur inutiliter quis quaereret textus canonum et minutas expositiones circa propositam legislationem.

Praeter explicationem eorum quae in Parte Secunda Schematis continentur, oportebit quaedam dicere de innovationibus novissime inductis in Titulum II Primae Partis, qui agit: *De dependentia Institutorum ab ecclesiastica Auctoritate*.<sup>3</sup> Hae innovationes respiciunt praeципue congruam autonomiam institutorum et exemptionem, de quibus Consultores tractaverunt in ultima sessione plenaria, ut supra dictum est.<sup>4</sup> Tandem manifestare oportebit lectoribus terminologiam novam quam Coetus Studiorum adoptare coactus est ob mutatum titulum et ambitum sectionis iuris communis cuius recognitio huic Coetui credita est.<sup>5</sup>

## II. DE SCHEMATE SECUNDÆ PARTIS

3. In praecedenti Relatione<sup>6</sup> accurate expositum fuit longum et laboriosum iter quod necessarium fuerat ut Schema huius Secundæ Partis tandem pertingeret ad formam quae in eadem Relatione exhibetur.<sup>7</sup> Schema tamen in hac Relatione publici iuris factum, quamquam a Consultoribus Parvi Coetus iam approbatum, examini tamen Consultorum in sessione plenaria Coetus Studiorum subiectum nondum fuerat. Re quidem vera tunc explicite dicebatur: « Sequens igitur est Schema Secundæ Partis tam labore appareatum, quod, post approbationem Consultorum Parvi Coetus, erit examinandum in proxima sessione plenaria Coetus Studiorum. Patet igitur quod lectores illud considerare debent tamquam simplex propositum. In proxima relatione exitus disceptationis indicabitur ».<sup>8</sup>

<sup>3</sup> Cf. *Communicationes*, 2, 1970, n. 5, p. 175.

<sup>4</sup> Cf. *supra*, n. 1.

<sup>5</sup> Cf. *Communicationes*, 2, 1970, nn. 1-2, pp. 168-170; 5, 1973, n. 4, p. 49.

<sup>6</sup> Cf. *Communicationes*, 5, 1973, nn. 16-18, pp. 63-67.

<sup>7</sup> Cf. *ibid.*, n. 18, p. 67.

<sup>8</sup> *Ibid.*, n. 18, pp. 66-67.

Discussio propositi schematis Secundae Partis locum habuit initio sessionis plenariae decimae quintae huius Coetus Studii, die 30 mensis aprilis 1973 et primis diebus mensis maii eiusdem anni. Disceptatio ad universum schema Secundae Partis extensa est et non paucae fuerunt difficultates a Consultoribus allatae praesertim contra rubricam Tituli II: *De Institutis Vitae Apostolicae Consociatae*. Divisio tamen Secundae Partis Schematis a Consultoribus Coetus Studiorum approbata fuit uti appareat in praecedenti Relatione.<sup>9</sup> Consultores enim opportunis explicationibus Relatoris auditis, in proponendis difficultibus non institerunt.

4. Antequam gressus fiat ad exponenda quae in Parte Secunda Schematis continentur, iuvat hic in mentem lectorum revocare quae initio numeri 20 praecedentis Relationis dicta sunt, quia non parvi sunt momenti: «Principia directiva a Coetu nostro adoptata initio fere laborum et constanter applicata in selectione et redactione canonum Primae Partis Schematis, etiam in opere conficiendi canones Secundae Partis nobis adiutorio magno fuerunt. Methodus adhibita etiam in hac Secunda Parte semper fuit ut praescripta omnino necessaria dumtaxat admitterentur. Etiamsi tenoris magis specifici, canones huius partis universales remanent et flexibles ut absque difficultate et damno applicari possint omnibus institutis illius categoriae ad quam pertinent, attentis quoque indole et fine cuiusque instituti. Quapropter, canones admissi pro qualibet specie atoma institutorum numero pauci sunt».<sup>10</sup> Decursu expositionis lectores comprobare poterunt veritatem huius affirmationis.

### III. DE CANONIBUS PRAELIMINARIBUS SECUNDAE PARTIS

5. «Universae Parti Secundae — iam in praecedenti Relatione dicebatur — praeponuntur quidam canones praeliminares tamquam accommodata introductio ad praescripta magis specifica unamquamque categoriam institutorum perfectionis respicientia».<sup>11</sup> Canones huiusmodi quatuor enumerantur et continent praescripta magni ponderis pro renovatione vitae Deo consecratae per professionem consiliorum evangelicorum. Patres Concilii Oecumenici Vaticani II criteria quedam indicaverunt pro accommodata renovatione vitae consecratae. Duo praecipua sunt continuus redditus *ad omnis vitae christianaे fontes*

<sup>9</sup> Cf. *ibid.*, n. 18, p. 67.

<sup>10</sup> *Communicationes*, 5, 1973, n. 20, p. 68.

<sup>11</sup> *Ibid.*, n. 19, pp. 67-68.

*primigeniamque institutorum inspirationem*<sup>12</sup> et aptatio *ipsorum ad mutatas temporum condiciones.*<sup>13</sup> Primum criterium suam concretam applicationem invenit in sequela Christi prout proponitur in Evangelio et in fidei agnitione et conservatione spiritus et propositorum Fundatorum necnon sanarum traditionum cuiusque instituti,<sup>14</sup> dum secundum ab institutis praecipue adhibetur in recognitione proprii iuris particularis, iuxta placita eiusdem Concilii et secundum principia tradita in Motu Proprio « Ecclesiae Sanctae ».<sup>15</sup> Haec omnia statuuntur in primis tribus canonibus praeliminaribus huius Partis Secundae Schematis. Canon quartus agit de re omnino peculiari, ut infra dicetur.

6. « Primus canon (praeliminaris) — statuebatur in altera Relatione — peculiare induit momentum, eo quod explicite agnoscat admirabilem varietatem institutorum in Ecclesia Christi *provenire ex germine divinitus dato et Fundatores Spiritu Sancto afflante ea constuisse, secundum gratiam quae data est eis.*»<sup>16</sup> Nemo certe ignorare posset momentum et necessitatem veritatem huiusmodi declarandi initio legislationis quae normas statuere intendit: *de iis quae singulis Institutorum generibus sunt propria.*<sup>17</sup> Et hoc potissimum in hac nostra aetate quando non pauca instituta et non pauci sodales crisi sic dictae « identitatis » afficiuntur et quando non pauci laborant tentatione indolem et proposita institutorum modificandi, etiam contra spiritum et mentem Fundatorum et seposito horum sic dicto « ideale » seu divina inspiratione. His et aliis motivis ducti, Consultores adhibere voluerunt verba Patrum Concilii quae inveniuntur in initio n. 8 Decreti *Perfectae caritatis* eaque extendere ad includenda omnia instituta perfectionis, ut clarum sit quod mirabilis varietas institutorum quae in Ecclesia habentur provenit ex germe divinitus dato, ut dicitur in Constitutione Dogmatica *Lumen Gentium.*<sup>18</sup> Ceterum, eadem veritas pulcherrime exprimitur in alia parte Decreti *Perfectae caritatis,*<sup>19</sup> ubi dicitur: « Inde ab exordiis quidem Ecclesiae fuerunt viri ac mulieres, qui per proxim consiliorum evangelicorum Christum maiore cum libertate sequi pressiusque imitari intenderunt et suo

<sup>12</sup> Decr. *Perfectae caritatis*, 2.

<sup>13</sup> *Ibid.*

<sup>14</sup> *Ibid.*, n. 2, a, b.

<sup>15</sup> Cf. Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, II, Pars I, 6-19, in *A.A.S.* 58, 1966, 11, pp. 776-777.

<sup>16</sup> *Communicationes*, 5, 1973, n. 19, p. 68.

<sup>17</sup> Cf. *ibid.*, n. 18, p. 67.

<sup>18</sup> Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, cap. VI, 43.

<sup>19</sup> Decr. *Perfectae caritatis*, 1.

quisque modo vitam Deo dicatam duxerunt, e quibus multi, *Spiritu Sancto afflante*, vel vitam solitariam degerunt vel familias religiosas suscitaverunt, quas Ecclesia sua auctoritate libenter suscepit et adprobavit. *Unde e consilio divino mirabilis varietas coetuum religiosorum succrevit*, quae valde contulit, ut Ecclesia, non solum ad omne opus bonum instructa et ad opus ministerii in aedificationem Corporis Christi parata sit sed etiam variis donis filiorum suorum decorata appareat sicut sponsa ornata viro suo et per eam innotescat multiformis sapientia Dei ». Merito igitur paulo infra iidem Patres Concilii edixerunt: *In ipsum Ecclesiae bonum cedit ut instituta peculiarem suam indolem ac munus habeant. Ideo fideliter agnoscantur et serventur Fundatorum spiritus propriaque proposita, necnon sanae traditiones, quae omnia cuiusque instituti patrimonium constituunt.*<sup>20</sup>

Modo conciso haec omnia in duabus paragraphis primi canonis statuta inveniuntur. Affirmatur multiplicitas institutorum in Ecclesia quae diversificantur per varia charismata Spiritus et secundum gratiam et donationes divinitus receptas. Haec instituta, quorum quodlibet constituit *modum securum* sequendi Christum ab Ecclesia approbatum, coadunari possunt secundum quod generaliter Christum pressius sequuntur vel orantem, vel hominibus benefacientem multiplice et admodum varia activitate pastorali et caritativa, vel tandem cum hominibus in saeculo conversantem, iuxta novissimam formam consecrationis a Spiritu in Ecclesia suscitatam. Cum autem Spiritus Sanctus suam actionem ordinarie exercet per viros vel mulieres selectos, quos Fundatores vel Fundatrices vocamus, necessarium est quod « ideale » seu mens eorum circa naturam, finem et peculiares institutorum qualitates sicut etiam sanae traditiones eorum religiose ab omnibus serventur. Institutum enim perfectionis ab Ecclesiae competenti Auctoritate approbatum nefas est immutare quod attinet ad elementa et qualitates essentiales ipsius. Hoc certe non licet neque moderatoribus neque sodalibus.

7. Canonibus secundo et tertio, in tribus distinctis et brevibus normis, codificantur praescripta statuta in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* quoad recognitionem iuris particularis institutorum. Primo loco, nempe, imponitur ut normae quae respiciunt elementa et qualitates essentiales seu mentem et proposita Fundatorum circa naturam, finem et indolem instituti et quae continent eius sanas traditiones colligantur in eius codice praecipuo, quocumque nomine veniat, et appro-

<sup>20</sup> *Ibid.*, 2, b.

bationi subiificantur competentis Auctoritatis Ecclesiae, Episcopi nempe vel Sedis Apostolicae, secundum diversitatem ipsorum institutorum. Si enim institutum est iuris dioecesani approbatio codicis praecipui datur ab Episcopo, secus ab Apostolica Sede. Omnes aliae normae iuris particularis, quae generatim tenoris magis practici sunt et ordinarii cursum vitae cotidianaee instituti et sodalium ordinant, colligendae sunt diligenter in alio codice vel libro qui generatim *directorium* appellatur, sed aliis quoque nominibus in variis institutis indicatur.<sup>21</sup>

Quae in codice praecipuo ponuntur, absque beneplacito Auctoritatis Ecclesiae approbantis mutari nequeunt. Quae vero in codice additicio seu directorio introducuntur manent sub potestate auctoritatis internae ipsius instituti et recognosci et aptari possunt secundum determinationem iuris particularis. Prudentia tamen postulat ut huiusmodi recognitionis et aptatio Capitulo Generali instituti reserventur.<sup>22</sup>

Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* nititur indicare quae in Codice praecipuo instituti sancienda sunt.<sup>23</sup> Hae tamen indicationes Consultoribus Coetus Studiorum nimis particulares videbantur ut possint in legislatione communi admitti sicuti iacent. Decreverunt proinde normam omnino simplicem et generalem hac de re statuere quae applicabilis sit non tantum in formulatione codicis praecipui sed etiam in compilatione codicis additiciae. Hi textus nempe *sobrii sint quoad numerum normarum*, ita ut leges absque necessitate multiplicari non debeant. *Sint etiam apti ut canales divinae gratiae ac proinde continere debent congruam unionem elementi iuridici et elementi spiritualis.* Aliis verbis, isti codices non debent constituere neque aridum elenchem normarum stricte iuridicarum, neque meram collectionem principiorum et considerationum theologicarum.

8. Sed quid reservandum est codici praecipuo instituti et quid relinquendum codici additicio? Quaestio haec, in praxi, non est facilis solutionis, ut moderatores et capitula institutorum experientia propria bene cognoscunt. Indicationes datae in Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* abs dubio praetiosae sunt, sed nisi copulentur cum ampla et profunda cognitione instituti de quo agitur, cum comprehensione propositi Fundatoris eiusque spiritus et cum identificatione traditionum instituti, quae sanae sunt, sat difficile erit discernere id quod est elementum essentialis seu qualitas fundamentalis instituti ab illis quae talia non

<sup>21</sup> Cf. Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, II, Pars I, 12-14, in *A.A.S.* 58, 1966, 11, p. 777.

<sup>22</sup> Cf. *Decr. Perfectae caritatis*, 4; Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, II, Pars I, 1-11.

<sup>23</sup> Cf. Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, II, Pars I, 12-19.

sunt. *Quodlibet institutum sodales meliores et magis paratos seligere debet eisque committere hoc opus sat arduum.* Omnes autem alii sodales operam adiutricem eis conferre tenebuntur secundum propriam peritiam et proprias possibilitates, saltem preces Deo offerendo et bona opera perficiendo pro felici exitu istius magni operis, quod cum vita totius instituti tam intime connectitur. Admodum necessarium appetet hanc distinctionem bene discernere ut institutum possit gradualiter quando necessitas vel opportunitas postulant, suas normas magis practicas recognoscere et congrue aptare necessitatibus et adjunctis novis quae continuo exsurgunt. Haec enim recognitio et aptatio fieri debent absque detimento instituti eiusque peculiaris naturae et finis. Absolute tamen necessarium non est quod distinctio de qua loquimur limites objective requisitos definiat *iam a primo conatu*. Studium circa naturam, indolem, finem, peculiares qualitates et vocationem in Ecclesia cuiusque instituti congruum tempus requirit.

9. In quarto canone praeliminari Secundae Partis ponuntur in paragraphis distinctis descriptio quaedam vitae eremiticae seu anachoreticae et condiciones requisitae ad hoc ut eremita possit uti religiosus recognosci. Iam in praecedenti Relatione expositum est motivum loquendi in hoc schemate *de vita eremitica* et sermonem coarctandi ad unum tantum canonem, qui inter praeliminares collocandus erit.<sup>24</sup> Motus hodie in Ecclesia clare percipitur erga hanc formam vitae consecratae. Et hoc non tantum in venerabilibus monasticis Ordinibus, sed etiam in aliis familiis religiosis. Consequenter in novo iure haec forma aliqualiter recognosci debuit. Cum tamen agatur de re admodum delicata, Consultores nostri Coetus non plus admittere vel statuere voluerunt quam stricte necessarium apparebat. Sobrietas hic suadetur etiam ex eo quod non agitur de vita consecrata, ut dicitur, *organizata* vel de institutis, quia materia non patitur. Et haec etiam est ratio inserendi canonem de vita eremitica hoc in loco. In omnibus enim aliis partibus sermo est de «institutis» vel de aliquo aspectu eorum vitae. Unde absonum esset alibi loqui de vita eremitica.

Cum vita eremitica seu anachoretica, quae in documentis conciliaribus «vita solitaria appellatur»,<sup>25</sup> aliud non sit nisi vita integre ad contemplationem ordinata, in qua tamen christifidelis societatem et

<sup>24</sup> Cf. *Communicationes*, 5, 1973, nn. 16, 17, 19; pp. 65, 66, 68.

<sup>25</sup> Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, cap. VI, 43; Decr. *Perfectae caritatis*, 1.

relationes cum aliis hominibus fere totaliter derelinquit ut melius in communione cum Deo vivat, descriptio vitae eremiticae, quae in paragrapho prima apparet, magna ex parte collecta est ex n. 7 Decreti *Perfectae caritatis*, ubi de institutis quae integre ad contemplationem ordinantur agitur. Ecclesia — affirmatur in hac prima paragrapho canonis — praeter instituta perfectionis de quibus agitur in canonibus praecedentibus et in omnibus aliis partibus huius Schematis, agnoscit vitam eremiticam vel anachoreticam, qua christifideles, *arctiore a mundo secessu*, vitam suam consecrant in laudem Dei et mundi salutem eadem media adhibendo quae communia sunt institutis integre ad contemplationem ordinatis, videlicet: solitudine, silentio, prece assidua et poenitentia.<sup>26</sup>

Etiamsi eremita, ob formam vitae quam amplectitur, evidenter vitam communitariam agere non possit, nihilominus tamquam religiosus stricte talis recognosci potest, si professionem consiliorum evangelicorum, voto firmatam, emittat in manibus cuiusdam competentis moderatoris religiosi vel, si ad familiam religiosam non pertineat, in manibus Ordinarii loci. Ipse debet insuper habere propriam vitae rationem seu *regulam* a moderatore vel Ordinario loci approbatam illamque servare sub dependentia vel moderatoris vel Ordinarii loci. Vita communitaria est certissime pars saltem integralis vitae religiosae, sed si aliquis propter motiva cogentia in communitate vivere non potest, certe non cessat religiosum esse, si omnes alias qualitates essentiales habeat.

#### IV. DE INSTITUTIS RELIGIOSIS IN GENERE

10. Sicut fuse expositum est in praecedenti Relatione,<sup>27</sup> Secunda Pars Schematis generalis tribus titulis dividitur, quorum quilibet normas continet quae respiciunt unam ex tribus supremis categoriis institutorum perfectionis. Titulus primus convenienter agit de categoria magis nota et magis numerosa, nempe: *de institutis religiosis*. Instituta tamen religiosa tam varia sunt et quoad vocationem et quoad missionem et quoad media ad finem proprium adipiscendum, ut necessarium Consultoribus apparuerit plures subdivisiones admittere, ut appareat ex Schemate approbato Secundae Partis. Verum tamen est etiam omnia huiusmodi instituta plura elementa communia habere,

<sup>26</sup> Cf. Decr. *Perfectae caritatis*, 7.

<sup>27</sup> Cf. *Communicationes*, 5, 1973, nn. 16-18, pp. 63-67.

quae essentiam vitae religiosae uti talem constituunt. Haec autem elementa clare statuere et delimitare, initio legislationis specificae pro institutis religiosis latae, est abs dubio magnae utilitatis. Et hoc maxime nostris temporibus quando doctrinae erroneae circa naturam et requisita essentialia vel integralia vitae religiosae certe non desunt. En motivum quosdam canones introductivos praeponendi legislationi latae pro qualibet specie institutorum religiosorum. Isti canones, qui quinque enumerantur, *praescripta communia continent pro omnibus institutis religiosis et consequenter nonnisi minimum statuere possunt et debent*, ut damnum non inferant quibusdam institutis per indebitas determinationes quae eis applicabiles non sunt. Ceterum, elementa essentialia vel integralia vitae religiosae de quibus agitur in his canonibus — ut statim videbitur — a quolibet instituto debent melius definiri et adaptari, attentis natura et indole propriis. Sermonem namque instituendo de obligationibus institutorum eorumque sodalium, dicebatur in praecedenti Relatione: « Quo melius vocatio instituti eiusque proposita adimpleri possint, *institutum tenetur adamussim definire in propria ratione vivendi modum quo consilia evangelica servari debent*. Sodales tamen obligatione tenentur non solum consilia servare sed vitam suam iuxta statuta ita componere ut ad perfectionem caritatis contendant ».<sup>28</sup>

11. In primo ex his canonibus — tamquam in nuce — colliguntur omnia elementa necessario assumenda ab omnibus institutis religiosis, quae uti talia recognosci volunt. Requiritur imprimis ut quodlibet institutum religiosum in proprio iure particulari *assumat tria consilia evangelica, castitatis nempe, paupertatis et oboedientiae, voto publico firmata*. Consilia haec ab omnibus sodalibus instituti assumi debent saltem in professione definitiva, sive haec sit professio sollemnis, sive simplex perpetua, sive tandem simplex temporaria expleto tempore renovanda. Nam, uti iam dictum est,<sup>29</sup> in novo iure recognito proponitur ut sermo fiat tantum de professione consiliorum et de professione religiosa. Ceterae specificationes relinquuntur facienda in statutis particularibus institutorum. Permittitur ut in institutis religiosis — si ita statuat ius particolare — professio trium consiliorum voto publico firmata fiat, non expleto novitiatu et in professione temporanea, sed dumtaxat in professione definitiva quae protrahi potest usque ad novem annos post finem novitiatus. Concessiones istae iam factae fuerant in Instructione *Renovationis causam*

<sup>28</sup> *Communicationes*, 5, 1973, n. 10, p. 57.

<sup>29</sup> Cf. *Communicationes*, 5, 1973, n. 11, p. 58.

S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 6 mensis ianuarii 1969.<sup>30</sup> De hoc iam mentio facta est in prima Relatione, quando sermo erat de cooptatione candidatorum in institutum.<sup>31</sup> Praeter professionem trium consiliorum voto publico firmatam, exigitur ut quodlibet institutum in proprio iure particulari normas aptas statuat *circa vitam fraternalm in communi a sodalibus agendam seu circa vitam communem*. Haec semper considerata est ut elementum saltem integrale cuiuslibet formae vitae religiosae et ita adhuc consideratur in proposita legislatione recognita.

Patres Concilii Vaticani II non semel in luce posuerunt altum valorem testimonii, quod vita religiosa reddit Christo et Ecclesiae.<sup>32</sup> Recte igitur recognita legislatio hoc testimonium magni facit et obligationem statuit pro omnibus institutis et cunctis sodalibus, non solum impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi, sed etiam ut sollicite attendant ut per ipsos Ecclesia Christum mundo in dies melius commonstret.<sup>33</sup> In hoc autem primo canone communi de religiosis, obligatio reddendi testimonium publicum Christo et Ecclesiae memoratur ad statuendam aliam obligationem inde descendentem. Haec obligatio duplē debet habere manifestationem, nempe: *quamdam separationem a mundo*, indoli et missione instituti propriam et consentaneam et *habitum praescriptum a iure particulari*, qui constitutus signum externum consecrationis vitae per susceptionem obligationis observandi consilia evangelica voto publico firmata. Tam de prima quam de altero claris verbis loquuntur et Decreta conciliaria et Apostolica Exhortatio « Evangelica testificatio » Papae Pauli VI.<sup>34</sup>

12. Prima vice in legislatione communi Ecclesiae apparent canones in quibus definitur minimum quod in quolibet evangelico consilio exigitur quodque ab omnibus institutis religiosis assumendum est. Hoc nonnisi post longam quaestione considerationem et protractam discussionem inter Consultores factum est, quia agitur de re difficile et sat delicata. Errores tamen doctrinales et magis adhuc deviationes practicae induxerunt Consultores Coetus ut has minimas determinations non omittant. Manifestum est tamen quod institutum quodlibet, attenta

<sup>30</sup> Cf. *Instructio Renovationis causam*, 34-37.

<sup>31</sup> Cf. *Communicationes*, 2, 1970, n. 14, p. 180.

<sup>32</sup> Cf. praesertim Const. Dogm. *Lumen Gentium*, cap. VI, 44-46.

<sup>33</sup> Cf. *Communicationes*, 5, 1973, n. 10, p. 57.

<sup>34</sup> Cf. Const. Dogm. *Lumen Gentium*, cap. VI, 44; Decr. *Perfectae caritatis*, 17; Ap. Exhortatio *Evangelica testificatio*, 35, 46, 22.

eius natura, fine et indole, teneatur plures alias determinationes facere ad hoc ut definiat in proprio iure particulari modum quo consilia evangelica in propria vivendi ratione servari debent. Item dicendum est quod, licet hic primo et per se agatur de consiliis voto publico religioso firmatis, nihil impedit quominus determinationes hic factae adoptentur etiam in institutis perfectionis alterius generis, attenta semper forma cooptationis in illo instituto usitata necnon natura et fine eiusdem.

In tribus distinctis canonibus obligationes necessario ex quolibet consilio evangelico exsurgententes recensentur. Hae ab omnibus institutis assumi debent et ab omnibus sodalibus observari secundum determinationem in iure particulari factam. Consilium castitatis, quod assumitur propter regnum coelorum, secumfert obligationem coelibatus et castitatis seu continentiae perfectae. Horum observantia caritas erga Deum et homines magis accenditur et manifestatur. Est doctrina Concilii.<sup>35</sup> In definiendis obligationibus ex paupertate exsurgentibus, Consultores non sunt obliti omnes religiosos commonefacere de officio vitam ducendi in labore et omnimoda sobrietate. Votum autem paupertatis exigit plenam dependentiam a propriis moderatoribus, secundum ius particulare, in usu et dispositione bonorum et cessionem saltem administrationis proprii patrimonii. Ut notum est, Patres Concilii permiserunt institutis religiosis votorum simplicium ut, iuxta determinationem in iure particulari factam, concedere possint « ut sodales bonis patrimonialibus acquisitis vel acquirendis renuntient ».<sup>36</sup> Hoc sancitum est etiam in iure recognito. Cum autem omnes qui bonis patrimonialibus renuntiant hoc per actum legalem coram auctoritate civili validum regulariter facere teneantur, sive pertineant ad Ordinem in quo votum sollempne paupertatis emiserunt sive ad Congregationem votorum simplicium, iuxta concessionem nuper memoratam, tunc ipsi non tenentur, immo forsan neque possunt, testamentum condere. Qui vero dominium radicale bonorum adhuc retinent in Congregationibus votorum simplicium, tenentur testamentum condere et libere disponere de usu et usufructu suorum bonorum, intuitu secuturae professionis. Omnes vero religiosi instituto cedere obligantur quae propria industria, stipendio vel pensione acquirunt. Votum autem oboedientiae, quo religiosi magis Christo assimilantur, secumfert plenam voluntatis dedicationem Deo in submissione tamen propriis moderatoribus ad normam

<sup>35</sup> Cf. Decr. *Perfectae caritatis*, 12.

<sup>36</sup> *Ibid.*, 13.

iuris particularis. Submissio haec praestari debet in spiritu fidei et amoris moderatoribus « tamquam Dei vices gerentibus ».<sup>37</sup>

Ex iam dictis clare eruitur Consultores Coetus, doctrinam Concilii sequentes, minimum necessarium proponere et definire voluisse ad hoc ut quodlibet institutum ea quae hic statuuntur ulterius posset determinare et specificare iuxta propriam naturam et vocationem. Quam maxime interest cuiuslibet instituti has determinationes facere prudenter et post amplam investigationem mentis Fundatorum, proprii charismatis et necessitatum hodiernarum eius atque propriae missionis, sicut iam pluries, sed numquam nimis, inculcatum est.

13. Tandem, in ultimo canone communi quoad instituta religiosa praescriptum salutare statuitur circa vitam communitariam sodalium. Communitas nempe religiosorum tenetur habitare in domo legitime constituta ad normam iuris particularis et communis. Haec domus religiosa debet habere propriam ecclesiam vel saltem oratorium in quibus Eucharistia asservatur et Missa celebratur. Liturgia eucharistica et praesentia SS. Sacramenti debent esse centrum communitatis. Quam opportunum sit hoc praescriptum constat ex audacibus innovationibus quae in hac parte introductae sunt pluribus in regionibus. Norma tamen est magis aperta quam illa quae in disciplina Codicis vigentis habetur.<sup>38</sup>

## V. DE INSTITUTIS MONASTICIS

14. Expletis quae referenda erant de canonibus praeponendis legislationi respicienti duo supra genera institutorum religiosorum, tempus est ut gressus fiat ad considerationem canonum qui normas statuunt pro primo ex his duobus generibus. Ut ex approbato Schemate Secundae Partis constat, instituta religiosa divisa sunt in monastica et in ea quae operibus apostolatus (ex proprio charismate) dedicantur.<sup>39</sup> Imprimis igitur agendum est de institutis monasticis, quae includunt illa monachorum et illa monialium. Iam in praecedenti Relatione mentio facta est de querimoniis monachorum ob modum agendi legislatoris in Codice vigenti, « ubi eos fere complete consociat aliis speciebus religiosorum et insisterent petierunt ut *statutum speciale* pro eis conficeretur in iure recognito ».<sup>40</sup> Consultores huius Coetus Studio-

<sup>37</sup> Cf. *ibid.*, 14.

<sup>38</sup> Cf. can. 594 et alibi passim in Parte II, Libri II, C.I.C.

<sup>39</sup> Cf. *Communicationes*, 5, 1973, n. 18, p. 67.

<sup>40</sup> *Communicationes*, 5, 1973, n. 20, p. 69.

rum rem profundius investigaverunt et non tantum censuerunt petitionem monachorum acceptare, sed eorum petitio occasionem praebuit considerandi num et pro aliis categoriis institutorum — et non tantum religiosorum — idem fieri posset. Ita, Secunda Pars Schematis generalis, praeter quasdam normas speciales pro qualibet categoria institutorum, contineret etiam medium facile et criterium sufficienter securum identificationis pro iisdem institutis. Quod in praesenti rerum condicione — et etiam in aliis — videtur esse id quod omnino desideratur, sicut iam supra dictum est.<sup>41</sup> Ita, fere sensim sine sensu, Pars Secunda Schematis praesentem formam suscepit et probabiliter eius maius momentum et valor pro institutis in hoc invenietur quod paucis canonibus quasdam peculiares et distinctivas qualitates indicat pro qualibet categoria institutorum perfectionis, ut infra clarius exponetur.

15. Legislatio quae proponitur pro institutis monasticis, quaeque pluribus et protractis discussionibus in diversis sessionibus occasionem praebuit, duobus Articulis absolvitur, quorum primus normas tradit circa monachos in sex canonibus, dum alter agit de monialibus in tribus canonibus. His duobus Articulis preeponitur unus canon communis in quo traditur descriptiva notio instituti monastici. Difficultas conficiendi unicum veluti statutum pro omnibus institutis monasticis inventa est in hoc quod non pauca eorum in operibus externis apostolatus suos sodales revera applicant et — saltem uti ab extra appareat — non videntur diversa ab aliis institutis religiosis operibus apostolatus deditis. Solutio tandem inventa est in criterio adhibito a Patribus Concilii in Decreto *Perfectae caritatis*, ubi explicite dicitur: « Monachorum praecipuum officium est divinae Maiestati humile simul ac nobile servitium praestare intra saepta monasterii, sive in umbratili vita integre se divino cultui dedicent sive aliqua apostolatus vel christiana caritatis opera legitime assumpserint ».<sup>42</sup> Quae omnia Consultores Coetus pree oculis habuerunt ut in legislatione proposita ex una parte quam maxime foveatur vita monastica integre ad contemplationem ordinata<sup>43</sup> et ex alia nullum detrimentum afferatur institutis monachorum quae apostolatum vel opera caritatis christiana legitime exercent.

<sup>41</sup> Cf. *supra*, n. 8.

<sup>42</sup> Decr. *Perfectae caritatis*, 9.

<sup>43</sup> *Ibid.*, 7.

16. De notione descriptiva monachi et religionis monasticae iam a prima sessione plenaria tractatum est et textus quidam fuit approbatus, qui postea assumptus est ad conficiendam notionem descriptivam instituti monastici in canone introductivo legislationis de institutis monasticis. De hoc canone nunc pauca sunt dicenda. Notio adoptata imprimis clare definit omnia instituta monastica esse instituta religiosa stricto sensu, ita ut omnia teneantur assumere elementa de quibus sermo est in canonibus introductivis ad legislationem de institutis religiosis et de quibus tractatum est supra.<sup>44</sup> Alia, quae in notione habentur, exprimunt modum vitae peculiarem monachorum et monialium verbis in traditione monastica veluti consecratis. Sodales enim instituti monastici debent « secundum proprias eiusdem instituti traditiones, morum conversione » vitam ducere anachoreticam vel coenobiticam « in Dei opere et labore, ut solum Deum Eiusque Regnum rerum divinarum contemplatione et caritate apostolica quaerant ».<sup>45</sup> Haec descriptio instituta monastica seiungit ab omnibus aliis et peculiare officium in Ecclesia ipsis reservat atque ipsis institutis eorumque sodalibus imponit ut testimonium speciale propria vitae ratione Christo et Ecclesiae reddant. Videretur pleonasticum hic dicere monachos ducere posse vitam etiam anachoreticam, cum de vita eremitica vel anachoretica — etiam in quantum potest esse vita religiosa — iam expositio facta est supra.<sup>46</sup> Et hoc sub aliquo respectu verum dici potest. Condiciones ibidem sanctitiae ad hoc ut anachoreta iure tamquam religious recognosci possit, valent etiam pro anachoretis qui sodales institutorum monasticorum sunt. Sed vita anachoretica apparet ita traditionalis et consentanea istis institutis ut opportunum videatur perantiquam dichotomiam: « vitam anachoreticam vel coenobiticam » pro istis institutis servare.

a) *De monachis*

17. Notio descriptiva instituti monastici in praecedenti numero breviter exposita non est nisi applicatio notionis monachi, quae prius formulata fuerat, ad institutum monasticum. Quapropter, Consultores Coetus opportunum non duxerunt iterum hic notionem monachi repetere. Primus igitur inter canones qui monachos respiciunt, verbis

<sup>44</sup> Cf. *supra*, 10-13.

<sup>45</sup> Cf. inter alia, *Propositum Monasticum de Codice Iuris Canonici recognoscendo*, in *Jurist*, vol. XXVI, 1966, 3.

<sup>46</sup> Cf. *supra*, 9.

desumptis ex Decreto *Perfectae caritatis*, definit vel potius confirmat munus principale omnium monachorum: *Monachorum praecipuum officium est divinae Maiestati humile simul ac nobile servitium intra saepa monasterii praestare.*<sup>47</sup> Coetus Consultorum voluit hoc canone sustinere venerabilem traditionem horum institutorum, quorum vocatio et portio missionis in Ecclesia Christi non semper neque ab omnibus — sicut decet — recte agnoscitur.

Instituta illa quae meliorem partem pro se elegerunt et integre ad contemplationem ordinantur semper retinent praeclaram partem in Ecclesia Christi, quam arcana fecunditate ditant.<sup>48</sup> Propterea, enixe adhortantur ut in sua vocatione et statu assumpto firmiter permaneant et suam missionem praeminentem in Ecclesia totis viribus servent, quia eorum abscondita opera maxime utilis est ad finem Ecclesiae consequendum. Tentationibus igitur quae frequenter eorum sodales alliciunt ad vitam illam derelinquendam, aures attentas ne praebeant. Immo, « quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas » ab inceptis ne receendant, quia Ecclesiae decus exstant et caelestium scatebra gratiarum.<sup>49</sup>

Illis autem institutis monasticis quae — uno vel alio motivo historico vel practico — opera apostolatus vel christiana caritatis assumpserunt, Ecclesia, materna sollicitudine mota, eis imponit ut serio investigent num opera quae exercent legitime assumpta fuerint et cum eorum natura et peculiari indole concordent. Ipsa enim vult ut iis tantum incumbant quae vitae monasticae indoli consentanea sunt.<sup>50</sup> Hic habetur applicatio quaedam doctrinae propositae a Patribus Concilii ad accommodatam renovationem vitae religiosae rite efficiendam, quae omnibus institutis perfectionis imponitur.<sup>51</sup> Prae oculis potissimum habenda sunt et continuus reditus ad primigeniam institutorum inspirationem et agnitionem et conservatio spiritus Fundatorum, priorum propositorum et sanarum traditionum.<sup>52</sup>

Tandem Consultores Coetus decreverunt admittendam esse postulationem plurimorum institutorum monasticorum ut huiusmodi instituta non enumerentur inter illa clericalia vel laicalia. Secundum antiquam disciplinam, instituta monastica quamdam classem distinctam

<sup>47</sup> Decr. *Perfectae caritatis*, 9.

<sup>48</sup> Cf. *ibid.*, 7.

<sup>49</sup> Cf. *ibid.*, 7.

<sup>50</sup> Cf. Decr. *Perfectae caritatis*, 9; Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, II, Pars I, 15-19; *Propositum Monasticum*, op. cit., canones propositi 19 et 29.

<sup>51</sup> Cf. Decr. *Perfectae caritatis*, 2.

<sup>52</sup> Cf. *ibid.*

institutorum religiosorum efformabant quae simpliciter talia appellabantur. Unde proponitur ut instituta monastica per se non sint neque instituta clericalia neque laicalia, sed simpliciter instituta monastica. Dicitur *per se* quia de facto possunt constitui pro maiore parte ex sodalibus clericis vel ex sodalibus laicis.

Haec omnia in canone secundo statuuntur.

18. Canon tertius introducitur ut in tuto ponatur sic dicta structura quae in his institutis regulariter habetur ex antiquissimis temporibus. Servato nempe iure particulari, ordinarie quaelibet domus religiosa, quae monasterium appellatur et invenitur sub cura et regimine proprii moderatoris, est sui iuris et moderator plerumque appellatur *Abbas*. Hic est moderator maior vi iuris particularis et communis.

Considerantes et factum existentiae foederationis inter plura monasteria et beneficia quae ex hac foederatione provenire possunt singulis monasteriis, Consultores Coetus Studiorum censuerunt has foederationes in novo iure admittendas esse, dummodo monasteria pertineant ad eamdem *familiam monasticam* et salva semper maneat autonomia monasteriorum. Immo, nihil impedit quominus istae foederationes monasteriorum vel institutorum monasticorum simul confluant in confoederationem. Difficile est pro iure communi ulteriores determinaciones ponere in hac re. Immo, esset forsan in detrimentum monasteriorum vel foederationum alia magis particularia hic statuere. Quapropter Coetus voluit dumtaxat possibilitatem foederationum et confoederationis admittere et forsan eas aliquantulum fovere, additis illis veluti condicionibus supra indicatis. Structuram autem foederationum et confoederationis concipere et internum eorum regimen statuere pertinet ad ipsa monasteria quae foederantur et ad foederationes quae in unam confoederationem uniuntur. Cum autem istae foederationes et confoederationes requirant beneplacitum Apostolicae Sedis, non est dubium quin normae quae internum regimen earum definiunt eidem Sedi Apostolicae subiiciendae sint.

19. Quamquam in parte Prima seu Generali Schematis insistentia non parva fiat ut post primam cooptationem sodalibus cuiuslibet instituti tradatur congrua institutio « ad vitam instituti propriam plenius ducendam et ad eius missionem aptius complendam » atque imponatur ut instituta bene definiant rationem institutionis et eius durationem, « attentis Ecclesiae necessitatibus atque hominum temporumque condicionibus prout a fine et indole instituti exigitur », tamen Consultores,

ad peculiare patrimonium institutorum monasticorum melius in tuto ponendum, voluerunt curare ut singula instituta monastica in proprio iure particulari definiant rationem propriam institutionis tam monasticam quam sacerdotalem, si institutum sacerdotes inter sodales habeat. Hoc est aliud medium aptum quo instituta monastica — sicut et alia instituta perfectionis — suum patrimonium spirituale, doctrinale et culturale servare possunt.<sup>53</sup>

Tandem norma traditur ad moderandum transitum alicuius sodalis ab uno monasterio ad aliud eiusdem familiae monasticae vel eiusdem regulae.<sup>54</sup> Statuitur ut in hoc casu sufficiat consensus moderatorum utriusque monasterii, habito voto deliberativo capituli monasterii recipientis. Cum enim sodalis intendat sese coniungere communitati huius monasterii uti membrum eius, quamaxime eius communitatis interest acceptatio huius sodalis. Sed agitur de duobus monasteriis eiusdem familiae monasticae, seu in quibus vita, disciplina, iura et obligationes substantialiter non sunt diversa et ideo non dicitur necessaria iteratio professionis monasticae seu religiosae post transitum sodalis in novum monasterium. Ius tamen particulare potest aliter rem moderari tam quoad disciplinam transitus quam circa professionis iterationem. Quo in casu ius particulare salvatur.

Norma hic statuta constituit exceptionem regulae generali, de qua agitur in *Titulo VII, Art. I, Partis Primae Schematis generalis*.<sup>55</sup> Ratio est quia transitus sodalis de uno monasterio ad aliud eiusdem familiae non potest considerari tamquam transitus ab uno instituto perfectionis ad aliud. Quapropter, disciplina simplicior et magis agilis erat adhibenda. Quod Consultores Coetus Studiorum facere conati sunt.

### b) *De monialibus*

20. Si proposita legislatio quae moniales respicit, quaeque tribus tantum canonibus constat, cum plurimis praescriptis quae de hac re habentur in Codice vigenti comparetur, illa abs dubio admodum simplicata apparebit et forsitan insufficiens ad earum necessitates. Qui tamen ita opinatur, videtur plura prae oculis non habere. Imprimis, non est obliviscendum Coetum Consultorum principia quaedam directiva,

<sup>53</sup> Cf. *Communicationes*, 2, 1970, n. 14, p. 180.

<sup>54</sup> Verba *eiusdem familiae monasticae vel eiusdem regulae* interpretanda sunt in eodem sensu a Patribus Concilii usitato in n. 21 Decr. *Perfectae caritatis*.

<sup>55</sup> Cf. *Communicationes*, 5, 1973, n. 12, p. 59.

fere ab initio laborum adoptata,<sup>56</sup> adhibuisse non tantum in Prima Parte Schematis sed etiam in Secunda Parte.<sup>57</sup> Et inter haec principia directiva habentur secundum et tertium quae abs dubio non favent multiplicationi praescriptorum. Notandum est quoque universa praescripta in Prima Parte Schematis posita institutis monialium et ipsis monialibus applicari sicut et omnibus institutis perfectionis eorumque sodalibus. Principium deinde admissum est a Coetu Studiorum vitandi quamlibet discriminationem in iure inter instituta virorum et illa mulierum. Absonum igitur esset hoc principium non applicare quando agitur de monialibus. Consequenter numerosa praescripta quae habentur in Codice vigenti in parte de religiosis a iure recognito admitti non possunt.<sup>58</sup> Tandem, habetur aequiparatio, expresse adoptata, inter monachos et moniales. Dicitur namque in § 2 primi canonis de monialibus: *Quae de monachis statuta sunt pari iure monialibus applicantur.* Omnibus igitur bene perpensis, praescripta iuris monialibus applicabilia pauca vel insufficientia dici non possunt.

21. In primo canone moniales respiciente, praeter aequiparationem de qua iamiam mentio facta est, fit declaratio iuxta quam nullae aliae mulieres Deo per professionem consiliorum evangelicorum consecratae *proprio nomine* vocari possunt in iure *moniales* nisi illae quae *ex instituto* vitae contemplativae dedicantur. Hoc non impedit quominus quedam instituta vel monasteria possint aliqua opera apostolatus vel christianae caritatis eorum indoli et fini consentanea assumere de consensu legitimae auctoritatis. Sed moniales quae tales sint nomine dumtaxat non debent amplius admitti in iure recognito. Talis admissio non inserviret ad clarificationem afferendam sed ad confusionem ingerendam. Hanc praecise ob rationem, Coetus Consultorum moniales voluit honorare per insertionem in primo canone pulcherrimorum verborum ex opere S. Cypriani « *De habitu virginum* » desumptorum, nempe: *illustrior portio gregis Christi.*<sup>59</sup> In *Instructione de vita contemplativa et de monialium clausura*, quae incipit: *Venite seorsum in desertum locum*, S. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus explicite illa verba applicat monialibus et institutis uni contemplationi deditis, « *in quibus monasteria monialium praeclarum obtinent locum* ».<sup>60</sup> Bene igitur attendentes ad petram unde excisa sunt, monasteria monialium

<sup>56</sup> Cf. *Communicationes*, 2, 1970, n. 3, pp. 170-173.

<sup>57</sup> Cf. *supra*, n. 4.

<sup>58</sup> Cf. *Communicationes*, 2, 1970, n. 7, p. 176.

<sup>59</sup> Cf. S. CYPRIANUS, *De habitu virginum*, 3, ML 4, 455.

<sup>60</sup> Instr. *Venite seorsum*, Intr., A.A.S. 61, 1969, p. 674.

maxima prudentia utantur antequam admittant opera apostolatus vel christiana caritatis, quae fere necessario turbant pacem et serenitatem ad vitam contemplativam requisitas. Non inutilis pro eis esse debet declaratio Patrum Concilii, qui verbis clarissimis extollunt instituta quae in sua vocatione integrae contemplationis remanent *quantumvis actuosi apostolatus urgeat necessitas*. Abs dubio quandoque monasteria inveniuntur in gravi egestate ita ut fere obligentur assumere quaedam opera externa ad sodales sustentandas. Christiani, sive laici sive clerici, necnon aliae animae consecratae, sensibiles esse debent circa necessitates impellentes monasteriorum monialium, considerata eorum maxima utilitate pro Ecclesia: « Deo enim eximium laudis sacrificium offerunt, populum Dei sanctitatis uberrimis fructibus collustrant atque exemplo movent necnon arcana fecunditate apostolica dilatant. Ita Ecclesiae decus exstant et caelestium scatebra gratiarum ».<sup>61</sup> Decet igitur — immo iustum videtur — ut ab Ecclesia universa subleventur in suis necessitatibus. Sic libera manere poterunt ut incumbant sanctissimo operi contemplationis et supplicationis divinae Maiestati pro universo mundo.

22. In vigenti legislatione monasteria monialium et moniales ipsae ponuntur veluti sub tute et in pluribus dependent vel a superiore regulari vel ab Ordinario loci.<sup>62</sup> Haec rerum condicio certe non favet maturitati ipsarum monialium et augmento in ipsis sensus responsabilitatis. Non raro, e contra, ansam praebet indebitis interventibus in internam vitae rationem et regimen eorundem monasteriorum cum non levi detimento disciplinae et pacifcae conviventiae inter moniales. Haec in iure recognito amplius admitti non possunt, magis et amplius quia principium Coetus Consultorum semper fuit ut quamlibet discriminationem inter instituta et praesertim inter instituta virorum et mulierum excluderet. Quapropter, instituta et monasteria sui iuris monialium obtinent in iure vitae rationem et regimen proprium secundum ius particulare. Et hoc verificatur etiam si instituta monialium vel monasteria sint consociata cuidam instituto virorum, ut accidit apud moniales dominicanas, carmelitas, etc. De hoc cavet canon secundus moniales respiciens. Attamen Consultores Coetus Studii minime ignorabant vel ignorare volebant beneficia vere notabilia quae instituta monialium et moniales ipsae habere possunt ex stabilibus relationibus in spiritualibus cum instituto cui consociantur. Propterea, salvis propria

<sup>61</sup> Decr. *Perfectae caritatis*, 7.

<sup>62</sup> Cf. inter alios cann. 500, § 2; 506, § 2; 512; 535, § 1; etc.

ratione vitae et proprio regimine, secundum determinationem iuris particularis, Coetus Studiorum expedire edicit ut instituta monialium et monasteria spirituali cura adiuventur ab instituto cui consociantur. Ita, spiritus proprius familiae religiosae melius servatur et foveatur et moniales efficacius propriam vocationem adimplere et prosequi possunt.

23. Tertius et ultimus canon moniales respiciens praescriptiones continet circa clausuram. Neminem latet Codicem vigentem legislationem immoderatam et minutam, hac de re continere, quae cum hodiernis populorum moribus vix concordare potest.<sup>63</sup> Idcirco Patres Concilii hoc efficax medium defensionis vitae contemplativae et silentii ex una parte servare voluerunt, sed ex alia ad iustum dimensionem nostris moribus acceptabilem reducere desiderarunt. « *Clausura papalis — statuit Decretum Perfectae caritatis — pro monialibus vitae unice contemplativae firma maneat sed iuxta temporum locorumque condiciones, iisque usibus sublatis qui obsoleti sint, accommodetur, auditis ipsorum monasteriorum votis* ».<sup>64</sup> Canon propositus desiderata Patrum Concilii paucis verbis ad duo praescripta reducit. Primum constituitur declaratione iuxta quam clausura papalis in futurum modo obligatorio servanda est tantum in monasteriis vitae unice contemplativae et non in aliis, quorum clausura papalis appellari non potest. In secundo praescripto imponitur indirecte ut ipsae moniales normas circa clausuram statuant in proprio iure particulari eamque practice determinent quoad proprium monasterium. Normae huiusmodi, cum agatur de clausura papali, probandae sunt ab Apostolica Sede. Coetus Studiorum alias determinationes circa clausuram papalem statuere noluit, quia has necessarias vel oportunas non duxit. S. Sedes, namque, in approbandis normis a variis institutis vel monasteriis monialium praesentatis iudicabit de toto hoc negotio, attentis omnibus circumstantiis in quibus moniales de quibus agitur vitam revera agere debent. Omnes aliae determinationes quae in Codice vigenti habentur non apparent amplius necessariae neque oportet ut clausura monialium ponatur sub speciali vigilancia Ordinarii loci.<sup>65</sup>

Alia quoque monialium instituta et monasteria, etsi a clausura papali eximantur propter opera apostolatus vel christiana caritatis legitime assumpta, lege tamen clausurae tenentur eorum condicioni accommodatae et iure particulari definitae. Etiam istae moniales prae oculis habere debent earum praecipuum officium esse contemplationem

<sup>63</sup> Cf. praesertim cann. 597, 600, 601, 602, 603.

<sup>64</sup> Decr. *Perfectae caritatis*, 16.

<sup>65</sup> Cf. can. 603.

assiduam rerum divinarum, quae absque silentio et a mundo recessu numquam attingitur. Et ita Consultores Coetus praescriptum addiderunt circa clausuram harum monialium quae vitae unice contemplative non vacant.<sup>66</sup>

Evidenter hoc in loco sermo fieri non potest de clausura aliorum religiosorum vel religiosarum quae moniales non sunt. Sed neque alibi videtur opportunum praescripta condere similia illis quae in can. 604-607 Codicis vigentis habentur. Decreta enim conciliaria de clausura monialium dumtaxat loquuntur<sup>67</sup> et Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, quod, inter alia, continet normas ad exsequendum Decretum SS. Concilii *Perfectae caritatis*, explicite abrogavit clausuram minorem monialium, quae ex instituto operibus externis sunt deditae.<sup>68</sup> De clausura vero aliorum religiosorum vel religiosarum mentionem non facit. Omnes tamen isti obliisci non debent eorum statum aliquam a mundo separationem semper exigere, attentis utique indole et fine instituti ad quod pertinent, sicut supra dictum est.<sup>69</sup> Necessarium igitur videtur ut quedam normae hac de re in iure particulari cuiusque instituti religiosi ponantur.

24. Ex iis quae supra exposita sunt circa canones qui in iure recognito proponuntur instituta monastica respicientes, lectores sat clare deducere possunt Commissionem, peculiarem hanc formam vitae religiosae magni facere atque eius utilitatem pro universa Ecclesia plene recognoscere. Legislatio autem proposita, dum extollit illa instituta monachorum et monialium quae meliorem partem, nempe contemplationem, eligunt eaque incitat ut in suo proposito firmiter et fideliter permaneant, considerat etiam factum historicum assumptionis operum exterorum apostolatus vel christiana caritatis ex parte quorundam institutorum monasticorum. Pro bono animarum et eorundem institutorum legislator hoc factum admittit, dummodo opera sint legitime assumpta et consona cum indole et fine ipsorum institutorum. Semper tamen verum remanet officium proprium monachorum et monialium esse humile ac nobile servitium praestare divinae Maiestati intra saepa monasterii.

Legislatio proposita appareat sobria, inutilibus et minutis determinationibus non obaerata, sufficiens tamen et hodiernis necessitatibus

<sup>66</sup> Cf. Decr. *Perfectae caritatis*, 16.

<sup>67</sup> Cfr. *Ibid.*

<sup>68</sup> Cf. Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, II, Pars I, 32.

<sup>69</sup> Cfr. *supra*, 11.

horum institutorum accommodata. Prae oculis tenet perantiquas traditiones huius venerabilis formae vitae consecratae et vult ut religiose serventur. Quae tamen obsoleta sunt vel moribus hodiernis non amplius respondentia e medio tollantur. Desiderata, tandem, ab iisdem institutis expressa, fuerunt a Coetu Studii substantialiter acceptata, ita ut concludi possit instituta monastica in nova legislatione invenire *statutum proprium*, quod eis relinquit illam aequam libertatem aptum ius particulare aedificandi et educandi ex peculiari eorum indole, charismate et missione necnon ex propriis sanis traditionibus.

De ceteris, quae alia instituta respiciant, in proximo Commentariorum libello (P. Marcus Said O.P., *Relator*).

